



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



For L...

L. Rom. A. 13 e. 28


. h. L. Roman


540

B665











GAI INSTITVTIONES

CODICIS VERONENSIS APOGRAPHVM

AD GOESCHENI HOLLWEGI BLVHMII SCHEDAS

CONPOSITVM SCRIPSIT LAPIDIBVSQVE EXCEPTAM SCRIPTVRAM

PVBLICAVIT

EDVARDVS BÖCKING

ACCESSERVNT

GOESCHENI DE CODICE VERONENSI PRAEFATIO

ET

INCERTI AVCTORIS DE IVRE FISCI QVAE SVPERSVNT

REGIAE SCIENTIARVM ACADEMIAE BEROLINENSI DEDICATVM OPVS

PROSTAT

LIPSIAE APVD SALOMONEM HIRZELVM

A. MDCCCCLXVI.



PRAEFATIO I. F. L. GÖSCHENI

PRIMAE EDITIONI PRAEMISSA.*

Bibliotheca Capitularis Veronensis, librorum manuscriptorum copia atque praestantia celebris, maxime membranis, quae juridici argumenti sunt, excellit. Inter quas primum fere locum eae obtinent, quas, Reverendissimo Capitulo consentiente, hoc volumine typis exscribendas curavit Academia Scientiarum Regia Borussica. Sunt autem hae:

1. Codex membranaceus rescriptus, olim XV., nunc XIII., quo sub quibusdam S. Hieronymi scriptis genuinae Gaji Institutiones continentur.
2. Folium singulare membranaceum, in quo de praescriptionum et interdictorum jure exponitur, ipsum quoque ad genuinas Gaji Institutiones pertinens.
3. Folia membranacea duo, quae tamen inter se cohaerent; incerti auctoris pag. VIII. fragmentum, quod in jure fisci declarando versatur. ed. 1842.

Folia, quae sub numeris 2. et 3. recensui†, parvulo insunt volumini, varii argumenti fragmenta complexo, cui titulus inscriptus legitur hic: «*Vetera Paralipomena Mss. Codicum Capituli Veronensis, a Ioh. Iacobo de Dionisiis Veronensi canonico in unum collecta. 1758.*»

Iam, quo pacto in publicum emergerit harum membranarum notitia, exponendum est¹.

Vtriusque, de quo dixi, fragmenti, tam ejus, quod de praescriptionum et interdictorum, quam ejus, quod de fisci jure agit, primus meminit, magnum illud Italiae decus, Scipio Maffei. Hunc enim in codicum Capitularium manu exaratorum indice, quem suae Veronensis civitatis descriptioni inseruit, cum scriberet: «*Più carte lacere e sciolte d'antico majuscolo, una della quali par fosse d'un codice delle Pandette, ed altra IX. d'un'opera d'antico Giurisconsulto; quai codici se si fossero conservati, niente si ha in tal genere, che lor si potesse paragonare*»², ad nostra

* (Quae annotationibus nunc addenda visa sunt, uncis inclusi. Reliqua, leviora tamen illa, quae emendatione indigebant, tacitus correxi.) [Ita Göschenius editione secunda. Quae ego Carolus Lachmannus addidi, per totum volumen diverso uncorum genere circum duxi.] Quae ego Eduardus Böcking huic praefationi addidi, eis † praescripsi et Bg. adieci. quae non repetenda iussi, ea punctis interiectis indicavi.

† Haec tria folia post apographum repetii. Bg.

¹ Conf. Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft, herausgegeben von F. C. v. Savigny, C. F. Eichhorn und I. F. L. Goeschen. Dritter Band. Berlin 1817. pag. 129. sq. — Abhandlungen der historisch-philologischen Klasse der Königlich-Preussischen Akademie der Wissenschaften aus den Jahren 1816—1817. Berlin 1819. pag. 307. sq. — Göttingische gelehrte Anzeigen. 1816. pag. 2009. sq.; 1817. pag. 601. sq. et pag. 1056.; 1818. pag. 17. sq. et pag. 1849. sq. — Leipziger Literatur-Zeitung. 1816. pag. 2529. sq.; 1817. pag. 2641. sq. — (Ignazio Conte Bevilacqua Lazise) Notizia d'alcuni Frammenti di antica Giurisprudenza Romana scoperti nell'anno MDCCCXVII fra i Codici della Biblioteca del Capitolo Canonico in Verona. Vicenza. 1817. 8. — Thémis ou Bibliothèque du Jurisconsulte. Tome premier. Troisième Livraison. Paris. 1820. pag. 288. sq.

² Verona illustrata. Parte terza. Verona 1732. 8. cap. 7. pag. 464.

fragmenta respexisse constat. Neque tamen in eo substitit Maffei. Nam in Opusculis suis ecclesiasticis³, ubi codicum Capitularium thesaurum diligentius recenset, primum quidem, p. 61., brevi hac annotatione fragmenta nostra significat: «Carte lacere da un codice delle Pandette, o d'antico Giurisconsulto»; deinde vero, p. 90., plenius ea persequitur ita: x. «In pagella altera: *an|cilla Caesaris, quae liberos habuit*». Haec verba ex altero illo fragmento de jure fisci deprompta sunt, ubi in folii posterioris columna prima vers. 23. et 24. leguntur. Quae vero adjicit Maffei: «et in alia: *secundum naturalem significationem verum esse debet*» etc., ea iterum ad fragmentum de praescriptionum et interdictorum iure referenda sunt. Eodem denique pertinet scripturae specimen, quod in secunda tabula, quae Opusculis ecclesiasticis jungitur, sub numero X. aeri incisum conspicitur, repraesentans illud p. 2. v. 5—9. a verbis *unde omnia interdicta* usque ad verba *editis formulis*. Cujus speciminis postea partem aliquam (p. 2. v. 5—7.) iterum aeri incisam, atque etiam typis, licet minus accurate, exscriptam Novi tractatus de re diplomatica auctores exhibuerunt⁴.

Quod ad codicem XIII. attinet, multo tardius evenit, ut iudicium ejus argumentum innotesceret; quippe quod occultum manserit ad novissimam usque tempora. Quamquam codicem ex palimpsestorum numero esse, Maffei minime fugerat: cujus rei testis est librorum manuscriptorum catalogus, qui in Bibliotheca Capitulari asservatur, manu ex- xi. aratus, a Maffei compositus, post huius autem obitum a doctissimo Antonio Masotti recognitus⁵; in eo enim de codice nostro inter alia leguntur haec: «Multae ex chartis codicem alium constituerant: dilutis siquidem anterioribus literis ac deletis, quae nunc cernuntur superinductae sunt, quod et in aliis codicibus animadverti pluries, primae scripturae satis se prodente vestigio, ac si antiquitus adeo infrequentes occurrerent ovinae pelles, ut nisi alterius interitu novus liber oriri non posset»⁶. Itaque, codicem XIII. rescriptum esse, neque Maffei ignoravit, neque Masottius, quamquam hanc notitiam typis vulgare supersederunt ambo; quale autem esset deletae scripturae argumentum, id vel ipsos latuit.

Nulla igitur de singularibus codicis XIII. dotibus apud viros doctos erat suspicio. Quae vero de reliquis illis, quarum mentionem habuimus, membranarum publici juris fecerat Maffei, ea, in Germania saltem, oblivio fere deleverat; ita ut Cel. Hauboldus, cujus ingentem eruditionem nihil fere solet fugere, memoriam eorum peculiari programme⁷ reno-

³ Istoria Teologica delle dottrine e delle opinioni corse ne' cinque primi secoli della Chiesa in proposito della divina Grazia . . . con importanti Anecdote in membrane antichissime rinvenuti. Trento. 1742. fol.

⁴ Nouveau Traité de diplomatique. Tome troisième. Paris 1757. pag. 208. Tab. 46. † Nos totum, ut supra dictum est, transcripsimus. Bg.

⁵ Constat duobus voluminibus in fol. Titulus sic habet: Scipionis Maffei Biblioth. Manuscripta Capitularis recognita digesta suppleta sub auspiciis Amplissimi Capituli ab Ant. Masotti Bibl. Veronae MDCCLXXXVIII.

⁶ Locum hunc exhibet Vol. I. pag. 62.

⁷ Notitia Fragmenti Veronensis de Interdictis. Auctore Christiano Gottlieb Hauboldo. Lipsiae. 1816. †[mense Nov.] In Hauboldi opusculis academicis, vol. II. Lips. 1829. 8°. p. 327...346. Bg.

vandi optimo jure consilium caperet. In quo libello elaborando cum adhuc occupatus esset, nova atque inopinata accessione aucta est Veronensium membranarum cognitio. Quam Ill. Niebuhrii, in quo splen- XII. didum ingenium, an incomparabilem doctrinam magis admireris, nescias, immortalī debemus merito. Is enim anno 1816. ab Augustissimo Borussiae Rege Romam missus, ut ibi Regii ad Sedem Apostolicam Legati locum occuparet, in transitu Bibliothecam Capitularem Veronensem lustravit: cumque in codicem XIII. incidisset, non modo, antiquissima scriptura veteris alicujus Iurisconsulti opus contineri, statim animadvertit; sed, gallae infuso adhibito, in folio 97. deletae scripturae ductus tam prospero successu restituit, ut ejus transcribendi facultatem nancisceretur. Praeterea fragmenti de praescriptionum et interdictorum jure, quod genuinis Gaji Institutionibus adjudicare non dubitavit, plenius atque accuratius exemplum composuit, quam quod olim typis vulgaverat Maffei. Tandem ejus quoque fragmenti, quod ad tractatum de jure fisci pertinet, transcribendi fecit periculum: et licet temporis angustiis impediretur, quominus harum membranarum, quarum pessima est condicio, accuratum exemplum absolveret, magni tamen aestimandum erat vel minus absolutum earum apographum; omni enim antea destituebamur certa atque definita hujus fragmenti notitia. Quae omnia biduo, eoque ne integro quidem, Niebuhrium perfecisse, ei, qui difficultatum in ejusmodi rebus superandarum gnarus est, incredibile videri possit. Operae fructum Niebuhrius cum Ill. Savinio communicavit. Qui, ut typis mandarentur, quae Niebuhrius transcripserat, sedulo curavit⁸. Propria praeterea ea- XIII. que, ut solet, doctissima atque acutissima adjunxit commentaria, in quibus, ut alia multa, ita hanc quoque conjecturam in medium protulit, antiquum codicis XIII. contextum ex genuinis Gaji Institutionibus repetitum esse, fragmentumque de praescriptionum et interdictorum jure hujus codicis aliquando fuisse partem⁹. Quae cum mox per universam Germaniam vulgarentur, tanta exorta est doctorum virorum de codicibus Veronensibus expectatio, tantumque imprimis codicem XIII. penitus cognoscendi desiderium, ut Academia Scientiarum Regia Borussica viros duos Veronam mittere constitueret, qui, quod incepisset Niebuhrius, quantum fieri posset, perficerent. Idque negotium Cel. Bekkero, philologo primario, Academiae socio, mihi quoque datum est. Itaque mense Majo anni 1817. Berolino profecti sub mensis finem Veronam venimus. Cum tamen ea sit Bibliothecae Capitularis legibus instituta ratio, primum ut codicis alicujus domum auferendi nemini unquam venia detur; deinde ut Bibliothecae scrinia publicis usibus unam tantum singulis diebus horam patere soleant: illud nobis ante omnia curandum erat, ut diutius in Bibliotheca commorandi facultatem nancisceremur. Praeterea eam esse codicis XIII. condicionem statim intelligebamus, ut in eo enucleando nisi chemicis remediis adhibitis, frustra operam consumpturi essemus. Igitur XIV. ut gallae infuso, quod nobis quidem omnium remediorum unum se probavit, uti liceret, a Rev. Capitulo venia petenda erat. Qua re effectum

⁸ Vid. Zeitschr. f. gesch. Rechtsw. III. p. 140—146. 150—158. 165—168.

⁹ Vid. Zeitschr. f. gesch. Rechtsw. III. p. 172.

est, ut a medio demum Iunio ex voto nobis procederet suscepti mandati executio, quae, cum aliqua tamen intermissione, ad medium fere Octobrem occupatos nos tenuit. Bekkerus quidem, ut alia eaque gravissima litterata negotia ab Academia Regia sibi commissa expediret, jam exeunte mense Iulio Mediolanum se contulerat; neque tamen solum me reliquerat. Cl. enim Hollwegius, Vniversitatis litterariae Berolinensis, ubi jam egregie Professoris partes sustinet, eo tempore alumnus, cum difficultatum, quas haberet codicis XIII. explicatio, fama ad eum perlata esset, litterarum amore ductus, sua sponte operam suam oblaturus ad nos venerat: cuius industriae atque sollertiae quantum debeam, dicere vix possum. Iam vero ut, quae praestiterimus, breviter demonstrarem, primum ea, quae Niebuhrius confecerat, exempla diligenter et recognovimus et supplevimus: deinde ea, quibus iuridicum codicis XIII. argumentum comprehenditur, quaeque prorsus incognita erant antea, pleraque omnia transcripsimus; ut, quae inexplicata nobis relinquenda fuerint, vix nonam totius codicis partem efficiant: denique illam, quam supra significavi, Savinii conjecturam verissimam invenimus; cuius rei postea evidentissima afferam
 xv. documenta. Neque vero, cum prosperum hunc cogito eventum, temperare mihi possum, quin grata mente nominem Viros Ampliss. atque Generosiss., Comitem de Goes, Supremum totius Venetae provinciae Praesidem, Liberumque Baronem de Lederer, Veronensi regioni Praefectum, qui summo studio nos adjuverunt. Multum porro amicitiae debemus tum celeberrimi Iosephi Zamboni, physici insignis, tum Ill. Comitis Ignatii Bevilacqua Lazise, litterarum non fautoris modo, sed etiam cultoris. Hic vel postquam Verona abieramus, incepti nostri studiosissimum se praestitit; quippe qui ejus notitiam eleganti libello cum popularibus suis communicaverit¹⁰, et tam fragmenti de praescriptionum et interdictorum jure, quam loci alicujus ex S. Hieronymi epistolis, qui extat in codice XIII., sua manu exaraverit imaginem nostro usui destinatam, qua singuli quique archetypi ductus accuratissime exprimuntur. Cum autem a Rev. Capituli decretis potissimum penderet suscepti operis eventus, illud nobis omnium maxime exoptatum contigit, quod Rev. Domini Marchionis Dionysii Caroli Dionisi, Sedis Episcopalis Vicarii Generalis, et Rev. Domini Comitis Bartholomaei Guarienti, Bibliothecae Capitularis Antistitis, Virorum omnibus humanitatis dotibus insignium, benivolentiam nobis conciliavimus. Tanta imprimis excellentiss. Comitis Guarienti erga nos
 xvi. fuit comitas, tantaque liberalitas, ut nulla, qua consilia nostra promotum iri sentiebat, molestia gravari videretur.

Bekkerus illis, quae supra tetigi, Academiae Regiae mandatis diutius in Italia detinebatur; mihi vero cum Hollwegio reverso, postquam in Academiae consessu de itinere rettuli, Gaji Institutiones Fragmentumque de Iure Fiscis edendi munus injunctum est. Videbat sane Academia, rem ipsam impedimento esse, quominus haec Gaji editio omnibus numeris absolveretur. Perfecta enim editio repetitam requirit codicis XIII. collationem: de cujus fructu ideo potissimum optima spes concipienda est, quia illius infusi, quo ad instaurandos antiquae scripturae ductus co-

¹⁰ Vid. supra not. 1.

dicem imbuimus, effectus temporis diuturnitate mirifice augetur; unde probabile est, multa, quae nobis oculis percipere nondum licuerit, nunc facili negotio legi posse. Vt tamen ex iterata tali codicis lectione plenissima capi possit utilitas, ea, quae parta jam tenemus, probe ante pertractentur necesse est: igitur vulganda erant. Denique si inventi thesauri commodis diutius privarentur antiquae jurisprudentiae cultores, vix ulla esse videbatur excusatio. Sapienter itaque Academia Regia, ut perfectior editio praepararetur, hanc curari iussit. | ...

XVII.

Iam vero et ipsarum membranarum, quae materiam praebuerunt huic editioni, et consilii, quod in adornanda ea secutus sum, ratio diligentius demonstranda est. Ac prius de Gaji Institutionibus exponam; tum ad Fragmentum de Iure Fisci pergam.

Componitur itaque codex XIII. foliis 127, formae quadratae mediae. Inter folium primum et ultimum, quae neque inter se cohaerent, neque cum alio folio ullo, intermedii sunt foliorum fasciculi sedecim, quorum plerique, utpote constantes foliis duplicibus quaternis, quaterniones efficiunt¹¹. Praesens codicis contextum, litteris uncialibus a manu satis antiqua exaratum, ex S. Hieronymi scriptis, imprimis ex ipsius epistolis desumptum est¹². Primo tamen ultimoque folio nec non foliis aversis 49. et 42. exceptis, cetera ubique antiquiorem praeterea produnt scripturam: quin in majore folii 2. ejusque recti parte nulla plane recentior manus conspicitur, sed sola ibi inveniuntur antiquioris scripturae vestigia. Est igitur, ut supra monui, rescriptus codex. In quo illud magnopere dolendum est, eos, qui membranas ad rescribendum praepararint, non eo se continuisse, ut veterem scripturam abluendo delerent, sed in altera fere cujusque folii pagina cultro, ut videtur, litteras erasisse¹³: quod ubi factum est, ad veterem scripturam revocandam vel chemica auxilia saepe frustra adhibeas. Antiqua autem illa scriptura duplicis generis est. Altera, litterarum uncialium, quibus constat, et antiquitate et elegantia insignis, per universum codicem, quoad rescriptus est, extenditur: altera, supra antiquissimam, quam modo dixi, at infra novissimam codicis scripturam collocata, ipsa quoque uncialibus exarata

XVIII.

XIX.

¹¹ Singulos foliorum fasciculos sequens demonstrat tabula: in qua foliorum inter se cohaerentium numeri interposita lineola copulantur.

I. 2—9 3—8 4—7 5—6 II. 10—17 11—16 12—15 13—14 III. 18—25 19—24 20—23 21—22 IV. 26—33 27—32 28—31 29—30 V. 34—41 35—40 36—39 37—38 VI. 42—49 43—48 44—47 45—46 VII. 50—57 51—56 52—55 53—54 VIII. 58—65 59 60—64 61 62—63 IX. 66—73 67—72 68—71 69—70 X. 74—81 75—80 76—79 77—78 XI. 82—89 83—88 84—87 85—86 XII. 90—95 91—94 92—93 96 XIII. 97—104 98—103 99—102 100—101 XIV. 105—112 106—111 107—110 108—109 XV. 113—120 114—119 115—118 116—117 XVI. 121—126 122—125 123—124.

¹² In Bibliotheca Manuscripta Capitulari, quam not. 5. laudavi, ita describitur: »Membranas Divo Hieronymo sacratas ingredimur, quae Veronensi editioni ansam praebuerunt. Hic quoque liber literis decoratur majoribus, quamvis non affabre depictis: spatium inter dictiones interlucet nullum: Graeca verba graecis pariterque majusculis characteribus effinguntur.

¹³ (Cujus rei ratio sine dubio haec fuit, quod antiqua scriptura in ea membranarum parte, quae pilosa olim fuerit, sola ablutione aboleri non poterat.)

litteris, talibus tamen, quae formae et antiquitate et elegantia minus conspicuae sint, sed ad novissimae scripturae similitudinem accedant, quartam fere implet codicis partem; sexaginta enim paginae ¹⁴ integrae, duae ¹⁵ ex parte, bis rescriptae sunt. Illud triplicis hujus scripturae commune est, quod eodem diriguntur unius cujusque versus; unde saepissime alter alterum tegit: quin non raro ita in unum incidunt tres diversi versus, ut vanus fere sit labor, quem in vetustissima scriptura extricanda impendas. Quod autem ad res scripturae comprehensas attinet, antiquissima quidem scriptura juridici, media vero similis atque novissima argumenti est; nam ipsa quoque ex S. Hieronymi operibus manavit: velut folio 114.

xx. recto pars epistolae ad Heliodorum de laude|vitae solitariae ¹⁶; foliis rectis 81. et 65. pars epistolae ad Pammachium et Oceanum de erroribus Originis ¹⁷; et folio 75. initium libri adversus Helvidium continetur. Quod mirum sane videtur; rem tamen ita explicari posse puto: Membranae codice XIII. comprehensae, praeter primum et ultimum folium, antiquitus juridici argumenti volumine continebantur. Procedente vero tempore librarius aliquis, qui transcribendi quaedam S. Hieronymi scripta consilium ceperat, novarum atque integrarum membranarum copia destitutus, vetere illo libro potitus, membranas, quae nunc codicem XIII. efficiunt, ita tractavit, ut eas ad rescribendum idoneas redderet; deinde nonnullis rescriptis, novum, quod molitus erat, opus imperfectum reliquit. Postea tamen de exarando S. Hieronymi exemplo iterum cogitatum est; adhibitaeque sunt praeter eas, quae ante vacuae relictae erant, codicis plagulas, rescriptae quoque, nunc recentiore, ut olim antiquiore, scriptura deleta: nam quae iam placebat novi libri ratio, ab ea fortasse, quae ante placuerat, differebat; denique prius illud, quod imperfectum manserat, exemplum alia manu scriptum erat. Quibus rebus omnibus primitivam foliorum seriem turbatam esse, ita, ut v. c. ex primo folio factum sit quinquagesimum, ex ultimo vero quadragesimum secundum, nemo erit, qui miretur. Quo etiam pertinet quorundam foliorum inversio: ea enim,|

xxi. praeterquam quod inversi ejusmodi folii posteriorem paginam in priorem translatae videmus, illud quoque interdum effectum est, ut ex cohaerentibus inter se foliis in praecedentis locum succederet sequens ¹⁸. |

¹⁴ (... Sunt bis rescripta fol. 60. 62—68. 71. 73—80. 113—117. 119. 120. 122—125. item folia recta 69. 81. 126. et folium aversum 72.)

¹⁵ Folia aversa 81. et 118.

¹⁶ Conf. Oper. ed. Io. Martianay. Tom. IV. Part. II. p. 7.

¹⁷ Conf. cit. Oper. ed. Tom. IV. Part. II. p. 343. 345. 346.

¹⁸ Subjecta tabula eum, qui nunc est, foliorum ordinem cum primitiva paginarum serie componit: ille numeris maioribus, haec minoribus significatur; ... folia inversa asterisco notata sunt.

2 39,40 3 113,114 4 17,18 5* 107,108 6* 97,98 7 31,32 8 123,124 9 41,42 10 161,162 11 33,34
12 99,100 13 115,116 14 121,122 15 105,106 16 47,48 17 167,168 18 171,172 19 95,96 20 149,150
21 103,104 22 101,102 23 147,148 24 109,110 25 157,158 26 165,166 27* 3,4 28 61,62 29 21,22
30 27,28 31 51,52 32* 13,14 33 163,164 34 177,178 35 65,66 36 173,174 37 83,84 38 89,90 39
187,188 40 79,80 41 183,184 42 251,252 43* 175,176 44 207,208 45* 179,180 46* 181,182 47
213,214 48* 185,186 49 237,238 50 1,2 51 203,204 52 189,190 53 9,10 54 7,8 55 201,202 56
217,218 57 15,16 58* 29,30 59* 93,94 60 153,154 61* 139,140 62 57,58 63 55,56 64 143,144 65*

Primitivi operis titulus in codice XIII. non reperitur: quin singulo- xxii. rum quoque librorum inscriptiones desiderantur, quamquam opus in libros divisum esse constat. In ipso enim opere talia occurrunt: *sequenti commentario referemus, superiore commentario tradidimus, primo commentario rettulimus*. Praeterea folia 117. (p. 53. 54.) 39. (p. 187. 188.) et 42. (p. 251. 252.) ita comparata sunt, ut in unoquoque commentarii alicujus exitum contineri evidenter appareat; quinimo in folio 39. recto (p. 187.) haec leguntur; *lib iii explic.* Vltiorem etiam librorum in suos cuiusque titulos partitionem rubricae indicant sparsim appositae, quae plerumque numeros adjunctos habent. Illud tamen longe frequentissimum est, quod, ubi nova incipit materia, vacua linea praecedat: quales quidem lineas eo consilio vacuas reliquisse videtur librarius, ut eas, opere aliquando cetera absoluto, rubricis diligentiore manu exarandis impleteret †. Proximus vero quisque post rubricam aliquam, sive iam insertam, sive adhuc inserendam, versus prominente in marginem initiali littera insignitur; quod tamen horum versuum non ita proprium est, quin etiam in aliis quibusdam observatum sit. Quidam denique articuli intervallis separantur, quae ejusdem versus finibus circumscribuntur. In totius autem alicujus articuli exitu unum, aliquando duo puncta posita inveniuntur †: xxiii. praeter hoc nullo omnino interpungendi genere usus est librarius; qui ne singula quidem verba intervallis distinxit, sed, ex antiquissimorum librorum more, omnia uno tenore perscripsit. Litterarum quoque in versuum exitu ex syllabarum ratione recte dispescendarum ita non fuit sollicitus, ut non uno loco in binos versus distribuerit unius ejusdemque syllabae litteras ¹⁹. Singulae autem paginae versibus circino, ut videtur,

19,20 66 205,206 67 43,44 68 211,212 69 81,82 70 91,92 71 209,210 72 37,38 73 215,216 74
245,246 75 5,6 76 127,128 77* 199,200 78* 191,192 79 137,138 80 11,12 81 243,214 82 231,232
83 227,228 84 49,50 85 69,70 86 75,76 87 63,64 88 225,226 89 221,222 90 73,74 91 141,142 92
239,240 93 249,250 94 155,156 95 71,72 96* 195,196 97 145,146 98 119,120 99 77,78 100 111,112
101 125,126 102 67,68 103 117,118 104 151,152 105 223,224 106 129,130 107 193,194 108 25,26
109 23,24 110 197,198 111 135,136 112 229,230 113 247,248 114 45,46 115 159,160 116* 59,60
117* 53,54 118 169,170 119 35,36 120 241,242 121 131,132 122 233,234 123 87,88 124 85,86
125 219,220 126 133,134.

† Adhuc haec de rubricis quaestio nimium neglecta est. diligentiorum eius tractatum praeparavi et apographo meo et editione quinta Gaiani libri quae prodit Lips. ap. S. Hirzelum a. 1866. Cf. infra p. XII. not. †. Bg.

† In his punctis enotandis parum diligenter versatus est Gō., nam multis locis schedae primariae earumque transcriptum a Gō. factum inter se differunt. ego illas schedas observavi. Bg.

¹⁹† (Göschenus iuris et ancilla exempli causa adnotavit. plura ego enotaui haec: *ad*: a|dco 16,12 (i. e. pag. 16. vv. 12. 13.) *an*: ha|nc 49,9. *as*: damna|s 107,20. *petas* 72,3. *be*: lib|ertatem 39,13. *ci*: anc|illa 46,19. *d*:|o (dolo) 204,18. *em*: qu|em 249,21. *ep*: supre|pte 177,2. *es*: te|st. 83,7. *e*:|t 26,15. *e*:|x 147,15. 162,21. 165,9. 194,23. *ia*: eti|am 84,12. 127,2. 136,2. 143,2. 180,8. *ie*: ad|iecta 111,10. subi|ectae 218,21. subi|ectos 76,17. *in*: i|niquitate 249,11. *ip*?: q|p(quippe) 190,15. *is*: modi|s 185,22. *iu*: i|us 138,9. i|uris 34,16. ei|us 48,22. cui|us 134,5. iniuriarum 190,3. *li*: uel|it 10,16. uel|int 96,22. *me*: tū|eliam (contumeliam) 186,8. *ns*: infan|s 156,23. *ob*: o|bligatio 232,17. P|R (praetor) 131. 132. s|i 203,3. *te*?: lib|ertate 192,21. *tr*: pat|ris 34,23. *tu*: instit|uunt 102,23. *ua*:

ordinatis constant vicenis quaternis, praeter folium rectum 17. (p. 167.), in quo non nisi viginti tres apparent versus, nec non folia recta 117. (p. 54) 39. (p. 187.) et 42. (p. 251.): haec enim cum singulorum, ad quos pertinent, librorum extremas exhibeant paginas, eo effectum est, ut ex dimidia fere parte vacua remanserint. Non aequè perpetuus est litterarum unius versus numerus: sunt versus, qui paucas ultra triginta, sunt, qui ad quadraginta quinque litteras complectantur; medius tamen numerus est litterarum triginta novem. Iam quod ad litterarum magnitudinem attinet, admonendum est, primam quamque cujusque paginae litteram, licet in medio aliquo verbo collocatam, nec non unius cujusque articuli initialem litteram reliquis esse majorem †. Vltimae contra ver-

xxiv. suum litterae ceteris plerumque sunt minores. Rubricae autem modo solitae magnitudinis litteris, modo grandioribus, modo minoribus scriptae deprehenduntur²⁰. Denique litterarum forma ei similis est, quae tum Mediolanensi Frontonis, tum in Florentino Digestorum codice conspicitur; ita tamen, ut nostri codicis scriptura Florentinam venustate praestare videatur. Magna praeterea Veronensis et Florentini codicis differentia haec est, quod in illo frequentissimus, in hoc rarissimus est siglarum usus.

Haec de codice XIII. Fragmentum autem de praescriptionum et interdicatorum jure membrana continetur ejusdem plane, quae in illo codice observatur, formae atque figurae; idem porro versus unius paginae numerus; idem scripturae genus. Quae sola sufficere possint, ut quis Savinii de hoc fragmento conjecturam probabilem arbitretur. Sed jam non opus, ut conjectura utamur: certa res est atque expedita. Nam extrema fragmenti verba, quibus de interdicto Quorum bonorum agitur, haec sunt: «eiusque uis et potestas haec est, ut quod quisque ex his bonis, quorum possessio alicui data est, pro herede aut pro possessore». Ad eandem autem materiam pertinet codicis XIII. folium 49. (p. 237.), in cuius principio leguntur haec: «possideret, id ei, cui bonorum possessio

xxv. data est, restituatur. pro herede autem possidere videtur» etc. Vnde evidenter apparet, fragmentum de praescriptionum et interdicatorum jure iis membranis, quae codice XIII. continentur, olim ita junctum fuisse, ut praecederet folium 49.

Sed jam in medium proferenda sunt argumenta, quibus evincatur, his, quas modo descripsi, membranarum genuinas Gaji Institutiones contineri. Quo loco primum commemorandus est membranarum harum et Iustinia-

qu|adrupli 177,23. qu|ae 27,19. 79,9. 165,12. 179,6. qu|am 217,12. qu|anti 171,1. qu|are 148,8. qu|asi 140,1. ub: su|biciat 178,13. ue: qu|e 26,11. 41,6. 186,1. sequ|ens 130,4. relin|quere 112,4. sequ|erentur 145,20. desu|etudine 28,15. ui: u|is 177,9. qu|id 78,4. qu|idam 47,11. uo: qu|od 110,15 136,7. qu|orum 236,23. ur: fu|r 178,22. Bg.

† Hoc non tam perpetuum est, quam Gö. dicit: in ipsis schedis saepius adnotatum est de initialibus litteris ceteris non maioribus. In hac quoque re schedas equidem secutus sum. Bg.

²⁰ Velut rubricae, quam folii 90. recti (p. 73.) v. 7. exhibet, litterae a ceteris nihil differunt. At in folii 100. aversi (p. 112.) v. 2. grandioribus litteris usus est librarius. Qui tamen rubricas, quas in folio 27. (p. 3. 4.) posuit, minutissimis litteris expressit.

nearum Institutionum, quas ex Gaji potissimum Institutionibus haustas esse scimus, consensus insignis quidem, neque tamen tantus, ut in ipsarum Iustinianearum Institutionum exemplum nos incidisse putandum sit: imo membranae antiqui juris praeceptis, a Iustiniano jure alienis, eamque ob causam in Iustiniani Institutionibus omissis refertissimae sunt. Alterum prolatae sententiae praesidium epitome praebet, in quam Gaji Institutiones a Breviarii Alariciani concinnatoribus coactae sunt: quam qui cum codice XIII. contulerit, fontem se repperisse, e quo illa manaverit, non dubitabit. Tertium vero idque omnium longe gravissimum argumentum eorum locorum, quos ex ipsis genuinis Gaji Institutionibus in Digestis et Mosaicarum et Romanarum Legum Collatione, nec non apud Boethium et Priscianum reliquos habemus, cum codice XIII. comparatione absolvitur. Nam omnes fere hos locos etiam in codice XIII. extare deprehendimus. Quod ut apertius cognoscatur, singuli loci recensendi sunt.

I. Loci ex primo libro.

XXVI.

A. Mancipationis descriptionem, quam Commentariorum in Topica Ciceronis Lib. III. servavit Boethius, exhibet codicis fol. 7. rect. (p. 31.)

B. Eodem codicis loco comprehenduntur verba haec: «qui libram aeneam teneat» etc., quae a Prisciano in fine Lib. VI. allegantur. Sed et altera illa apud Priscianum verba: «adhibitis non minus» etc. codex exhibet. Vid. fol. 58. avers. (p. 29.)

C. Denique in codice reperiuntur Digestorum loci hi:

L. 9. de justitia et jure. (Cod. p. 1.)

L. 1. de statu hominum. (p. 2. 3.)

L. 3. eod. (p. 3.)

L. 6. eod. (p. cit.)

L. 1. de his, qui sui, vel alieni juris sunt. (p. 13. 14.)

L. 3. eod. (p. 14.)

L. 2. de adoptionibus. (p. 26. 27)

L. 7. de legitimis tutoribus. (p. 42. 43.)

II. Loci ex secundo libro.

A. Articulus de in jure cessione, qui apud Boethium loc. cit. legitur, extat in cod. (p. 59.)

B. Continentur praeterea codice: |

L. 37. de usurpationibus. (p. 66.)

L. 10. de acquirendo rerum dominio. (p. 74—76.)

L. 4. qui testamenta facere possunt. (p. 82.)

XXVII.

III. Loci ex tertio libro.

A. Capituli de legitimis successione, quod extat in Mosaicarum et Romanarum Legum Collatione, Tit. XVI., §. 2., partem posteriorem eamque majorem exhibent cod. p. 127—130.

B. L. 2. de obligationibus et actionibus. (p. 163. 164.)

Reliqui loci, quos in hoc indice ex industria praetermisi, quia de iis singularia quaedam admonenda habeo, sunt hi:

I. ex primo libro L. 28. de adoptionibus. Hunc locum cod. p. 36. contineri, eorum, quae praecedunt, quaeque sequuntur, ratione perpensa, pro certo affirmare ausim: in extricandis tamen hujus folii ductibus operam perdidimus.

II. ex secundo libro

A. L. 1. de divisione rerum. Hujus loci vestigia reperiuntur in cod. p. 55—57.: integrum legeremus, nisi pessima esset praesens horum foliorum condicio.

B. L. 13. de injusto, rupto, irrito facto testamento. Huc trahendum est
 xxviii. cod. fol. 123. (p. 87. 88.) nunc ita sane comparatum, ut, quae in eo | scripta fuerint, magnam partem legi non possint: quod olim tamen locum nostrum exhibuisse, ex rerum nexu intelligitur, singulisque quibusdam litteris, quas in primo aversi folii versu agnoscere licuit, comprobatur.

III. ex tertio libro ejus articuli, quem in Mosaicarum et Romanarum Legum Collatione extare dixi, pars prior eaque minor. Hanc a codice abesse constat; unde eam in deperdito aliquo folio collocatam fuisse necesse est.

Quae cum ita sint, nulla relinquatur dubitatio, quin membranae nostrae genuinas Gaji Institutiones offerant; neque tamen illas integras, ut ex eo, quod proxime monui, apparet. Vnde nunc diligenter inquirendum est, quanta primitivi codicis pars deperdita habenda sit.

In quo illud ante omnia considerandum erit, num initium operis habeamus et finem. Primum autem earum, quae nunc sunt, plagularum locum olim obtinuit folium 50. rectum. In hujus principio, praemisso numero I., rubrica posita est, quam ita interpretor: De jure gentium et civili. Vnde, licet rubricas, quae in codice XIII. inveniuntur, a Gajo ipso profectas esse valde dubitem, illud tamen colligo, librarium in eo exemplo, quod transcribendum sibi sumpserat, nihil quicquam repperisse, quod anterioris alicujus rubricae ansam dare posset. Itaque titulum quidem desiderari, ipsius tamen operis principium folio 50. comprehendi mihi persuado. Nam si quis forte inde petat dubitandi causam, quod in Iustini
 xxix. Institutionibus titulo | de jure gentium et civili praemittitur titulus de justitia et jure, hoc habeo, quod reponam: in primo hoc titulo non Gajum, sed Vlpianum secutos esse Iustinianearum Institutionum auctores ²¹. Quod autem ad finem operis attinet, omnium, quae codex XIII. completitur, foliorum ultimum olim fuit folium 42.: idque ita comparatum est, ut in sola superiore prioris paginae parte scriptura aliqua appareat; nam quae in inferiore parte pinxit librarius, non litterae sunt, sed id ductuum genus, quod librarii in extremo aliquo opere ponere solent. Accedit, quod materia quoque indicat, iis, quae in hoc folio scripta sunt, opus absolvi. Vnde non principium modo, sed etiam finem operis codici XIII. inesse certum habeo. Nunc autem nova quaestio oritur haec, quantum eorum, quae intermedia olim fuerint, reliquum esse dicendum sit. Quam, accurate perpensis tum argumentorum et verborum nexu, tum plagularum inter se cohaerentia, tum numerorum in quibusdam foliis conspicuorum, primitivos quaterniones indicantium, ratione, Hollwegius ut ingeniosissima, ita verissima sententia expedit. Primitivum enim codicem aequae atque eum, qui nunc est, sedecim geminorum foliorum fasciculis compositum fuisse statuit; ita tamen, ut quindecim priores quaterniones essent, ultimus vero comprehenderet gemina folia quinque. Postero autem tempore, cum codex male haberi coepisset, gemina quaedam folia
 xxx. altera | sua parte truncata sunt: unde evenit, ut jam sexti nec non noni quaternionis primum, decimi tertii autem quartum folium desideretur. Abest praeterea decimi sexti fasciculi folium decimum, quod tamen non est cur doleamus: cum enim in praecedente folio, nunc 42., opus absolutum esse appareat, deperditum illud folium a scriptura vacuum fuisse

²¹ Conf. pr. et §§. 1. 3. 4. I. de justitia et jure cum L. 10. et L. 1. §. 2. eod.

recte colligitur. Itaque ad integrum Gaji Institutionum codicem non ultra tria folia desiderari dicendum est. Quae omnia subjecta illustrabit fasciculorum tabula; de qua tamen praemonenda habeo haec: cruce (†) eos notari plagularum fasciculos, quorum numerum in primo cujusque folio adhuc extare animadvertimus; cohaerentia inter se folia hac lineola —, deperdita signo 0 indicari; numeri *Arabici maiores* ad eum foliorum ordinem, qui nunc est, *Arabici minores* ad primitivam paginarum, quae supersunt, seriem referendi sunt. (Conf. not. 11. et 18.)

<p>I.</p> <p>50 — 57 1-2 — 15-16</p> <p>27 — 32 3-4 — 13-14</p> <p>75 — 80 5-6 — 11-12</p> <p>54 — 53 7-8 — 9-10</p> <p>†V.</p> <p>35 — 40 65-66 — 79-80</p> <p>102 — 99 67-68 — 77-78</p> <p>85 — 86 69-70 — 75-76</p> <p>95 — 90 71-72 — 73-74</p> <p>IX.</p> <p>0 — 61 139-140</p> <p>76 — 79 127-128 — 137-138</p> <p>106 — 111 129-130 — 135-136</p> <p>121 — 126 131-132 — 133-134</p> <p>XIII.</p> <p>52 — 55 189-190 — 201-202</p> <p>78 — 77 191-192 — 199-200</p> <p>107 — 110 193-194 — 197-198</p> <p>0 — 96 195-196</p>	<p>II.</p> <p>4 — 7 17-18 — 31-32</p> <p>65 — 58 19-20 — 29-30</p> <p>29 — 30 21-22 — 27-28</p> <p>109 — 108 23-24 — 25-26</p> <p>VI.</p> <p>0 — 59 93-94</p> <p>69 — 70 81-82 — 91-92</p> <p>37 — 38 83-84 — 89-90</p> <p>124 — 123 85-86 — 87-88</p> <p>X.</p> <p>91 — 94 141-142 — 155-156</p> <p>64 — 60 143-144 — 153-154</p> <p>97 — 104 145-146 — 151-152</p> <p>23 — 20 147-148 — 149-150</p> <p>XIV.</p> <p>51 — 56 203-204 — 217-218</p> <p>66 — 73 205-206 — 215-216</p> <p>44 — 47 207-208 — 213-214</p> <p>71 — 68 209-210 — 211-212</p>	<p>III.</p> <p>11 — 16 33-34 — 47-48</p> <p>119 — 114 35-36 — 45-46</p> <p>72 — 67 37-38 — 43-44</p> <p>2 — 9 39-40 — 41-42</p> <p>†VII.</p> <p>19 — 24 95-96 — 109-110</p> <p>6 — 5 97-98 — 107-108</p> <p>12 — 15 99-100 — 105-106</p> <p>22 — 21 101-102 — 103-104</p> <p>XI.</p> <p>25 — 18 157-158 — 171-172</p> <p>115 — 118 159-160 — 169-170</p> <p>10 — 17 161-162 — 167-168</p> <p>33 — 26 163-164 — 165-166</p> <p>XV.</p> <p>125 — 122 219-220 — 233-234</p> <p>89 — 82 221-222 — 231-232</p> <p>105 — 112 223-224 — 229-230</p> <p>88 — 83 225-226 — 227-228</p>	<p>†III.</p> <p>84 — 87 49-50 — 63-64</p> <p>31 — 28 51-52 — 61-62</p> <p>117 — 116 53-54 — 59-60</p> <p>63 — 62 55-56 — 57-58</p> <p>†VIII.</p> <p>100 — 101 111-112 — 125-126</p> <p>3 — 8 113-114 — 123-124</p> <p>13 — 14 115-116 — 121-122</p> <p>103 — 98 117-118 — 119-120</p> <p>XXXI.</p> <p>XII.</p> <p>36 — 39 173-174 — 187-188</p> <p>43 — 48 175-176 — 185-186</p> <p>34 — 41 177-178 — 183-184</p> <p>45 — 46 179-180 — 181-182</p> <p>†XVI.</p> <p>Fragm. de praescrip. et interd. 22 0 235-236</p> <p>49 — 42 237-238 — 251-252</p> <p>92 — 93 239-240 — 249-250</p> <p>120 — 113 241-242 — 247-248</p> <p>81 — 74 243-244 — 245-246</p> <p>XXXII.</p>
--	---	---	---

Restat, ut de aetate primitivi codicis verbo dicam. Niebuhrius jam significaverat, se Iustiniani temporibus eum antiquiorem arbitrari. Quod cum a quibusdam in dubium vocari viderem, a Celeberrimo Koppiō, qui nostro aevo inter rei diplomaticae peritos principem locum occupat, quae sua hac de re sententia esset, percontatus sum. Atque is Niebuhrio assensus est, motus primum litterarum forma et siglarum indole atque frequentia: deinde eo, quod, ut supra monui, initialis cujusque paginae littera, licet in medio aliquo verbo collocata, reliquis major esse deprehenditur: denique ipso codicis contexto; nam etiam post latas Iustinianaeas leges quemquam de novo Gaji Institutionum exemplo comparando cogitasse, minus probabile iudicat. Quae omnia cum diligentius peculiari commentario persecutus sit ipse doctissimus Koppius²³, rem hoc loco summo digito tetigisse sufficiat.

†[Quae paginis XXXIII. sqq. de sua editione, de operis in IIII commentarios et paragraphos quas vocant partitione, de grammatica et siglarum exprimendarum ratione, de modo partes non legibiles aut explendi aut indicandi, denique de adnotatione editionis suae Goeschenus exposuit, cum proprie ad hoc apographum non pertineant, nec repetenda hic visa sunt.] Bg.

XXXIII...LV.

Duo illa folia, quibus inest hoc fragmentum [de Iure Fiscī], lacera sunt atque corrugata admodum: forma est quadrata major: paginae in binas dividuntur columnas vicenis quaternis versibus compositas: singuli versus ternas [immo quaternas] denas ad vicenas litteras complectuntur, ita tamen, ut plerumque constant litteris septenis denis⁶⁹: litterarum forma uncialis est. LVI. Duo|bus locis versum omisit librarius⁷⁰, ob eandem, opinor, rationem, quam supra indicavi, cum idem in codice XIII. saepius a librario factum esse monerem. Praeterea horum folium cum codice XIII. haec est convenientia, quod quidam versus prae ceteris prominent, et in quibusdam aliis vacua deprehenduntur spatiola, quibus antecedentis articuli exitus

²² Conf. Zeitschr. f. gesch. Rechtsw. III. p. 131. (Bevilacqua Lazise) Notizia d'alcuni Frammenti. p. 11. Ibi huic folio tribuitur numerus XIII; accuratior tamen inspectio numerum talem esse docuit *xvi*.

²³ Vid. Zeitschr. f. gesch. Rechtsw. IV. p. 473. sq.

† Quae de rubricis in codice deprehensis, quas ut Gaio ipsi tribuendae sint se vereri Goeschenus expressit, pagg. XXXIV. sq. (cf. supra p. XXII. not. †) scripta sunt, cum ipsum apographum plenius et apertius sub oculos ponat, repetere non iuvat. nec Goeschenus librarium per tres priores commentarios (nam in quarto semel tantum id factum est) saepe singulas, raro binas lineas rubricis inscribendis, maximam quidem partem ex imperialibus Institutionum opere reparabilibus, vacuas reliquisse observavit. Qui totus locus adhuc nimium neglectus iacet. Bg.

⁶⁹ Inter versus 13 litteris constantes referendus est etiam versus 22. in folii prioris columna quarta positus, quamquam ex eo 12 tantum litteras eruimus; evanuisse enim videtur initialis littera. (Conf. §. 9. not. 4.) [Immo si hanc addiderimus, erunt litterae quindecim, *in emptorem ūdi*: nam *m* litteram hic librarius tam spatiosam pingere solet ut pro binis numeranda sit. Hac numerandi ratione admissa bis II, 2, 17 et 4, 19 litteras quaternas denas invenimus, quinas denas autem non admodum raro.] Viginti litterae non nisi in prominentibus quibusdam versibus reperiuntur. [I, 1, 24. II, 4, 16; item I, 2, 19, si ibi scriptum est *shanr*.]

⁷⁰ Vid. fol. prior. col. 4. lin. 4. et 17.

a sequentis principio separatur: accedit, quod in his quoque membranis nulla reperitur neque interpunctio, neque verborum distinctio, quodque frequenter siglis librarius usus est. Illud autem diversum est, quod hujus fragmenti litterae illis, quibus Gaji Institutiones scriptae sunt, aliquanto grandiores sunt: quin quaedam in ipsa litterarum figura animadvertitur varietas, quae maxime apparet in litteris *A* et *R*; quo etiam illud referendum est, quod litterae *F*, *P*, *R* plerumque totae supra lineam positae sunt, cum in Gaji codice infra lineam decurrant. Neque quod dixi, in Gaji codice paginarum initiales litteras reliquis majores esse, idem de hoc fragmento dicendum est: in posteriore enim folio initiales primae quartaeque columnae litterae, quamvis in verbi alicujus principio positae sint, ejusdem atque reliquae litterae magnitudinis nobis visae sunt; ceterarum columnarum initia deperdita sunt. At prominentis cujusque versus prima littera paulo grandior esse solet. Ceterum in his membranis, quamvis non rescriptis, vetustate tamen ita evanidam factam repperimus scripturam, ut in iis quoque gallae infusum | adhibendum fuerit. Quod autem earum con- LVII. textum singulari numero fragmentum dixi, id si quis reprehendat, lubens concedo, duo proprie esse fragmenta: nam quae in extremo priore folio leguntur, cum posterioris folii principio minime cohaerent ^{70a}; ita ut folia quaedam intermedia deperdita esse evidenter appareat. De auctore nihil habeo, quod asseverare possim, praeterquam quod eum e classicorum Iuriconsultorum numero fuisse ipsa fragmentorum materia docet, quippe quae magnam partem sit e jure antiquo ⁷¹. Ex qua materia illud quoque colligit Niebuhrius, membranas nostras ante occidentalis imperii exitum exaratas esse; neque enim verisimile videri, ut quis posterioribus temporibus talis argumenti librum transcribi curaverit: Koppius ex lit|terarum LVIII. forma de aetate membranarum nihil statuere ausus est ⁷².

Scribendam Berolini, mense Novembri Anni MDCCCXX.

LXXV.

[^{70a} Non magis quam si eorum ordinem inverterimus; quod cur fieri non possit, causam nullam video.]

⁷¹ (Ne nunc quidem quicquam affirmo: probabilis tamen videtur eorum sententia, qui haec fragmenta Paulo tribuenda esse opinantur. Quam sententiam primus protulit Celeberrimus Gottschalkius, qui eam cum Savinio communicavit. Posthac ipse a doctissimo Caplickio admonitus sum, ea, quae fragmentorum §. 19. contineantur, iisdem fere verbis exprimi loco quodam Digestorum e Pauli Libro V. Sententiarum desumpto, videlicet L. 45. §. 3. de jure fisci: id quod in Addendis ad Ed. I. notavi.) [Pauli de Iure fisci libris alii adscripserunt, ejusdem Regularum libro singulari Dirksenius (vermischte Schriften, 1841, I. p. 48); contra quem pro Sententiis quae potui argumenta nuper dixi (Zeitsch. für geschichtl. Rechtsw. XI, p. 110). A ceteris longe dissentiens C. Gu. Walchius «de aetate fragmenti veteris jurisconsulti de jure fisci» Ienae anno 1838 ita disputavit, ut librum a nescio quo juris consulto Diocletiani vel Constantini tempore scriptum doceret, parum, ut mihi quidem videtur, probabiliter.] † Cf. disputat. meam in Ulp. Fgm. 4. edit. Lips. 1855. p. 142...149. et Huschk. in Ipdent. anteiust. Lips. 1861. p. 518... 520. Bg.

⁷² Vid. Zeitschr. f. gesch. Rechtswiss. III. p. 132. IV. p. 481.

Gö. = Goescheni schedae Hollwegio adiuvante Veronae ex ipso codice, maximam partem ita, ut in singulis non complicatorum foliorum paginis (*Folioseiten* Germanice) seni codicis versus exscriberentur, confectae. quas schedas Goeschenus Berolinum reversus in folia quadratae formae transcripsit, permagna quidem diligentia, sed tamen ita, ut hincinde litteras, praecipue vitiosas mancasve cum iustis plenisve permutaret; ad quas variantes significandas per *Sch.* schedas, per *Gö.* transcriptum Goeschenianum indicavi.

Bl. = Bluhmii schedae, id est in multis singularibus diversae formae scidulis (cursui publico ut ad Goeschenum, Hugonem, alios veherentur commissis) diversis temporibus ad principalem Gai editionem (Berol. 1820.) e codice Veronensi scriptae adnotationes. His quoque schedis, ut Goeschenianis omnibus, nunc regiae Berolinensis bibliothecae propriis, humanissime mihi commodatis ita usus sum, ut in papyrum pellucidum accuratissime eas transcriberem, et utrasque schedas sic contaminarem, ut ex adnotatione adpareret quae Bluhmio deberentur et ubi idem a Goescheno in scriptura discrepaverit. Non nullius etiam utilitatis mihi fuit exemplar editionis illius primae ab ipso Bluhmio Veronae adnotatum, quod multo maioris esset, nisi rubro scriptae notae in itinere toto libro aqua misere madefacto pleraeque fere omnes elutae essent.

Numeros tam paginarum Gaianarum et foliorum codicis ut nunc compactus est, quam singulorum versuum Goeschenum secutus ad superiorem illos, hos ad sinistram scripturae marginem adscripsi, versuumque numeris aut singula aut bina puncta adposui, ubi in illis Gaiana scriptura aut minore aut maiore ex parte posteriore scriptura tegitur; in compluribus tamen semel tantum superscriptis paginis illa puncta, cum eorum adnotationem Goeschenus neglexisset, adscribere non potui; in paginis quas *b. r.* (bis rescriptas) Goeschenus, ego *t. s.* (ter rescriptas) esse significavimus, illa puncta, cum omnes earum versus recentioribus litteris connecti sint, adponere inutile visum est Goescheno.

Ubi litterae non unciales sed cursivae in textu supra vel infra unciales ipsius codicis litteras scriptae sunt, has dubias esse, utrum hae an illae scriptae sint indicatur; alio modo eiusmodi lubricae codicis litterae superposito interrogandi signo (?) notantur, quod in fine versuum post ipsam ultimam litteram scriptum, utrum haec versum claudat necne incertum esse significat. Quae vero unciales litterae in textu super alias positae conspiciuntur, eae (exceptis p. 246. et 247.) ab ipsius librarii manu profectae sunt. In adnotatione pro cursivis illis litteris ipsas schedas secutus saepe unciales superscripsi.

Lineas et huius modi asteriscorum * signa eas codicis particulas indicant, quarum prima scriptura scrutantium oculos adhuc effugit.

GAI INSTITUTIONES

codicis ueronensis apographum

ad

goescheni hollwegi Blühmii

schedas compositum

scripsit lapidibusque exceptam scripturam


publicauit

eduardus Böcking

accesserunt

incerti auctoris de iurefici

quae supersunt




REGIAE SCIENTIARUM ACADEMIAE
BEROLINENSI

QUOD ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS
UT GAIUS REUULSCERET
FELICEM CURAM INPENDIT

HASCE GRATES DEDICAT
EDUARDUS BÖCKING

AD LITTERARUM COMMERCIIUM ACADEMIAE ADSCRIPTUS SOCIUS



1. ^{e d e c i u c i i a} I D C I O * T M I J C I I * A I
 2 _____
 3 _____
 4 — que populus ipse sibi constituit ipsius
 5 proprium uocat quod scilicet quasi us pro
 6 prium ip. ———— RATIO x omnes
 7 homines constituit idcirco omnes populos p
 8 aeque custodit uocaturque eius gentium
 9 quasi quod omnes gentes utuntur populus ita
 10 que romanus partem suam proprio partem
 11 communium hominum iure utitur quae sin
 12 gula qualitas in suis locis proponemus.
 13 CONSTANTATIURA ex legibus plebiscitis se
 14 NATUS CONSULTIS CONSTITUTIONIBUS PRINCI
 15 PUM MEDICIS EORUMQUE IUDICANDI HABENT P
 16 PONSIS PRUDENTIUM
 17 Lex est populus iuribus etatque constituit plebis
 18 cit est plebs iuribus etatque constituit plebs at
 19 a populo eo distat quod populi appellatione uni
 20 uersa uerba significantur connumeratis
 21 et patrici plebs appellatio sine patri
 22 ci ceteri uerba significantur unde olim pa
 23 trici dicebant plebiscitis non tenebant quia
 24 sine auctoritate eorum facta essent pro itea

u.1.] ^{e d e c i u c i i a} Schedae sic: I dei u c i i a
 ^{e d e c i i i a} [et] — Malim I. de iurētiū et civili iure? | ^{e d e c i i i a} Gō sic explic. I d e c i i i a [iure]
 ^{e d e c i i i a} [et] — | ^{e d e c i i i a} O * T M I J C I I [gentium] A I
 [et] — — Malim I. de iurētiū et civili iure? |4.6.] ^{e d e c i i i a} p p l e n t u r e x
 Gai. l. i. q. 1. de iust. et iure i. i. = d d. 1. s q q. I. de iure nat. gent. et civ. 1.2.

- 1° Lex hortis alata ē quae ut plebs citata uniuersum
 2° populum tenerent itaque omnibus sexaē
 3° quae assensus consultae senatus iubet atque
 4° constituit idque legis uicem optinet quae
 5° uis fuit quae situm
 6° **U**titutio principis ē quod imperator decreto
 7° uel edicto uel epistula constituit nunc quod dubitat
 8° ē quae nihil legis uicem optinet utrumcumque imperator
 9° plebem imperium accipiat
 10° **I**us aedificandi habent magistratus praesens amplissimum
 11° ius in edictis duorum praetorum urbani
 12° praetoris peregrini quae in praesens iuris dictione
 13° praesens praetoris habent item aedictis aedilium
 14° curulium quae iuris dictione in prouinciis praetoris
 15° quae praetores habent in prouinciis caes. omninoque
 16° praetores non mittunt et ob id edictum in his
 17° praesens non proponitur
 18° **R**esponsa prudentium sunt et opinionese eorum
 19° quae praesens iuris dictione de re quae omnium si
 20° in unum sententiae concurrant idque ita sentiunt
 21° legis uicem optinet utrum praesens dissentiunt iudici
 22° licet. quae licet sententiae sed quae idque rescripto diuisa
 23° **D**RIANISIGNIFICANT II de iuris diuisione
 24° **O**mnne autem ius iuris uel ad personas pertinet uel

1.3.] q̄ Gō. puta q̄ a.] Utitutio Bl. Stitutio Gō. 7.] N. Bl.
 N Gō. 13.] aedictis Bl. aedictis Gō. 14.] p. r. Bl.
 po. Gō.

1 ADRUAD ACTIONESS'PRIUS IDEAMUS DE PERSONIS
 2 III DE ET QUIDE IN SUMMA ADIUSIO DE IURE PERSONARUM HAEC
 3 DIONE³ EG OMNES HOMINES ALIBERIS AUT SERUI RUP
 4 ^{DOMI} NUS LIBEROR' HUMANUM ALI INGENUIS ALI LIBER
 5 TINI INGENUIS Q' LIBERINATI S' LIBERTINI QUI EX
 6 IUSTASEPUITUTE ININSI RUP SUS LIBERTINORU
 7 NUMEROS DEQB' SINGULIS DISPICIAMUS AC PRIUS
 8 DE DITICIS ^{III DE DITICIS} ^{lege A S} LEGE ITAQUE AELIAS ENTIACA
